

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.
0983

0981

0987

0977

410

eius dabant, fructus tamen flores illos delectabiles subsequentes non sunt, nisi spinae acutissimae, albae quidem usque ad aculeum, quem rubeum habent, ac si essent sanguine tineta, et est adeo acutus, quod levissimo et tenuissimo tactu laedit manum, creduntque nonnulli aculeum veneno ex sua natura infectum, ut ea de causa ita faciliter laedat. Nonnulli dicunt coronam Domini Jesu de talibus spinis plexam, cum etiam circa Jerusalem crescant. De his arboribus spinosis multos per desertum vidimus, volui tamen de hac specialem facere mentionem propter Sarracenorum et Arabum superstitiones, quas exercent juxta eam. Nullus enim per eam pertransit, qui non de sua veste peciam discerpat et peciam ad arborem suspendat, unde adeo repleta est peciis dilaceratis, quod homo a longe eam videns putat, eam habere folia alba. De hoc vide infra fol. 33. (a) et fol. 63 dicitur causa illius ritus. Stabant etiam ibi multae et magnae arbores fici, sicut querci, quae pendebant plenae fructibus, alterius tamen speciei a ficubus communibus, de quibus collegimus et comedimus. Dicuntur tamen ficus illae ficus Pharaonis et septies in anno producunt arbores illae fructus ex se, non mediocres, sed bonos valde.

(29 a) Die advesperante venimus juxta quandam villulam Lebhem dictam et ibi depositis sarcinis et fixis tentoriis manere oportuit. Libenter enim nos peregrini longius processissemus, sed ductores nostri nolebant. Dixit autem nobis Calinus, quod quieti essemus, quia statim venirent dies et loca, in quibus labor et miseria nobis imminaret et bestiis, ideo non oportere in principio festinare, sed paulatim arduum laborem aggredi. Porro tentoria nostra fixa erant juxta quandam puteum, cisternam veterem, magnam et altam, quae non habebat aquam, nisi modicam crassam. Hanc cisternam nominant Sarraceni puteum S. Mariae. Dicunt enim, quod Joseph dicens Virginem cum puero Jesu in Aegyptum defectu aquae coactus a via regia huc declinavit et hic aquam accepit, Christo filio, matri et pro se. Nos vero, quia aquam non reperimus in eo, misimus asinarios nostros cum asinis et utribus ad alium longe distantem puteum et aquam inde nobis attulerunt. Stabat etiam prope nos muschea, quae erat villae

0992

0972

1032

0932

1082

0882

0482

Ende

Anfang

